Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 137
Quelle:
Copyright:

uangelia legantur. soli IIII^or euangeliste matheus. marcus. lucas. iohannes apud maiores nostros pondus auctoritatis comprobati sunt obtinere &c. neque Autoris mihi noti est.

LXXXIX.

R. 1636 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 108. f. charactere grandi eleganter exaratus, auro coloribusque distinctus, priusque *Bibliothecae Civicae Vindobonensis* complectitur S. *Matthaei Evangelium* utraque Glossa, tam ordinaria, quam interlineari Textum diversimode, concinne tamen circumdante stipatum. In anteriore Theca et *fol.* contiguo comparet Annus 1381. *decembris 5to.* et *Tabula* adcurate exhibens, quid ex isthoc Evangelio, et quo die per annum in Ecclesia legatur. Huic Tabulae praegrandibus literis subscriptum est: *Is liber spectat Carnario Cimiterij S. Stephani Wien.* quod theca posteriore continuatur sic: *anno Mille° quadrin° XLIII°.* Vides *Carnarium* aliud esse a *Coemeterio*, dicendum potius *Ossarium*, in quo videlicet Ossa diu sepulta, ut recentibus cadaveribus locum facerent, e tumulis eruta, praecipue Calvariae, per series erigebantur. Sacellum, et fortasse D. *Magdalenae* nunc terrae aequatum, *Carnario* adfuisse, et in hujus Vestiario, vulgo *Sacristia*, ut mos erat, Codicem nostrum cum aliis servatum fuisse, credibile est.

Additum est huic Codici *Euangelium Nicodemi*, quod Sec. XV. 16. foll. scriptum incipit: *Factum est nono decimo Teberii cesaris imperii romanorum et Herodis inperii gallilee Anno XIX principatus eius VIII Kalendas apprilis hoc est XXV die mensis Marcii consulatus Rufi vellionis* &c. Unum Exemplar *Vol.* I. P. I. *col.* 453. recensitum dedi hujus spurii Foetus, et hoc *Vol.* jam istud tertium refero. Habet ad calcem *Pilati Epistolam* priorem, eique Fabulam adnectit de *Tiberio* aegroto spe valetudinis recuperandae *Volusianum* ad *Christum Hierosolymas* ablegante, qui cum intelligeret, eum a *Pilato* morti traditum, Praesidi exitium accersivit. Nihil de hac Fabula reperi in *Cod. Apocr. N. T. Fabricii.* Ceterum confer, quae de ipso *Evangelio* ad alia Exemplaria dixi, et *Phil. Jac. Lambacherus* in *Bibliotheca antiqua Vindob. Civica* 1750. 4. edita de hoc Codice p. 26. commentatus est; neque enim aut res, aut effrenis Librariorum licentia, qua in trajiciendo et corrumpendo textu usi sunt, plura meretur.

XC.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2220 XIV. Folior. 78. f. min. columna angusta media luculente exaratus, minutius vero inter lineas et in marginibus, olim Bibliothecae Episcopatus *Neostadiensis*, S. *Matthaei Evangelium* exhibet *Glossa*